Comes Offerdius, et ipse Regiæ cædis præcipuus author Farfaxius. Quam diversa privati iuris et Regni conditio: Illo constitutum est, ut tanquam indigno auferatur hæreditas, qui defuncti necem ulcisci neglexerit. Regni ratio atrocissimarum quoq; iniuriarum oblivisci iubet.

Galliæ et Hispaniæ Reges, in utriusq; Regni limite componendis controversiarum reliquiis, et pompæ nuptialis paratui intenti sunt.

Junius

Hollandi, Angliæ Regem Hagæ Comitis splendida receptione et sumptuoso Convivio, donis præterea, et omni honoris exhibitione, sibi conciliare studuerunt. Montacutius cum 24 navibus, Carolum Regem Schevelingæ in Hollandia expectat. Amnestia non omnibus concessa: 41 exclusi feruntur. Unde plerique qui Regiæ necis sibi conscii sunt, fuga salutem quærunt. Duæ Naves, ista hominum fæce onustæ, Hamburgum appulerunt.

Pax quæ sola restabat inter Danos et Suecos, propediem stipulanda speratur. Hollan-